

## PARS PRIMA.

### LOGICA.

Logica, a voce græca *λόγος*, *verbum* seu *sermo*, sic dicta, quia mentis operationes et verba quibus exprimuntur dirigit, vocari potest, quoad vim nominis disciplina sermocinatrix.

*Dialectica* quoque nuncupatur, a dialogis quos inter se habebant logici, interrogando, respondendo, objiciendo et solvendo; qui dicendi modus a Platone aliisque magni nominis philosophis usurpatus est.

Duplex distinguitur logica, naturalis scilicet et artificialis. Logica *naturalis* est facultas quam habemus a natura cogitationibus nostras ad verum juxta aliquem ordinem dirigendi. Sic rustici et artifices in multis sæpe optime ratiocinantur.

Logica *artificialis* est cognitio regularum quibus hæc facultas dirigitur et perficitur, et definiri potest: Scientia mentis operationes dirigens, tum in studio, tum in manifestatione veritatis.

1° Dicitur *scientia*, quia, ex principiis certis proficiens, demonstrat quod docet: est simul ars, si spectetur ut exercitium ratiocinandi et argumentandi. Quia tamen logici eam sub priori respectu considerant, vocem *scientia* voci *ars* præferendam esse duximus.

Dicitur 2° *mentis operationes dirigens*: per illas voces logica a cunctis aliis scientiis et artibus secernitur.

Dicitur 3° *tum in studio, tum in manifestatione veritatis*; quæ voces finem logicæ modo generali exprimunt.

A multis logica definiri solet *ars cogitandi*; sed illa de-

finitio, brevissima quidem, prima conditione ad legitimam definitionem requisita, videlicet claritate, gaudere non videtur; non clare enim percipitur quid significet vox *cogitandi*, nisi explicetur. Nostra igitur definitio convenientior videtur.

Cogitationes nostras attente considerantibus patet aliud esse objecta simpliciter nobis repræsentare; aliud quidquam de illis pronuntiare; aliud cogitationes ex aliis cogitationibus deducere, et aliud eas ordinare. Unde logica in quatuor dividitur dissertationes, quæ de idea, de judicio, de ratiocinio et de methodo tractant: quinta additur, de existentia et motivis certitudinis.

## DISSERTATIO PRIMA.

### DE IDEA.

*Idea*, a voce græca *εἶδος*; *video*, derivatur. Considerari potest prout est in mente, vel prout extra mentem profertur. Duplex igitur dissertationis erit caput.

## CAPUT PRIMUM.

### DE IDEA PROUT IN MENTE EXISTIT.

Idea prout in mente existit, seu ratione sui generatim spectata, et latiori sensu sumpta, definiri solet: Mera alicujus objecti repræsentatio existens in mente. Dicitur 1° *mera*, id est, *simplex* repræsentatio; quia nihil affirmat aut negat de objecto. Dicitur 2° *repræsentatio alicujus objecti*; ubi enim aliquod objectum percipimus, illud quodam modo in mente nostra fit præsens, non tamen semper sub imagine corporea; multa siquidem percipimus objecta pure intellectualia quæ sub nulla imagine repræsentari possunt, qualia sunt: v. g. cogitatio, affirmatio, negatio, etc. Hic non attingimus modum quo in